

1379 huc aliquid dicere: fore ut paucissimis diebus Carolus Zenus adesset: sicque virorum & navium numero classe aucta, præsentem Liguris audaciam remissuram. Par animorum desperatio in Contarena classe erat: frigora, fames, pericula telorum assidue in naves cadentium usque adeo fregerant omnium animos, ut ad fugam potius quam ad arma miles & qui in portu erant, respicerent. Sustinebat multitudinem Principis præsentia & adhortatio, monstrantis quantum ignominia ac periculi se patriamque maneret, si inde re infecta decederetur: fore ut Venetos Clodia abscedentes Ligur a tergo insequeretur: aliquantoque ferocius quam antea urbem adortus, brevi eam jam propemodum fame confectam in suam potestatem redigeret. Sed neque preces neque adhortationes illæ fractos animos in speciem continuandæ obsidionis erigere poterant. Et jam ad id ventum erat, ut biduo post obsidio utrinque solvenda esset, quum Zenus opportune cum quatuordecim triremibus optime instructis circa meridiem, quasi divinitus missus, Clodiaceum portum intravit.

1380 Eum Calendis Januariis tertia diei hora urbem ex alto annavigantem Senatus ad Principem ire iussit. Fuit itaque non minus gratus, quam opportunus illius accessus. Multæ & magnæ gratulationes fuere in utraque classe, ingens quoque lætitia, ubi viro illo de rebus a se gestis differente cognitum est septuaginta hostium varii generis navigia ab eo demersa. Cæterum in *Pichiniona* cethea nobilissima ac reliquis, præter remiges sociosque navales, ad trecentos Genuenses negotiatores cum præda trecentorum milium captos. Et quia res majorem nullam patiebatur moram, confestim Zenus cum duodecim triremibus Brundulum ad Pisani naves mittitur. Quo viso, ingens gaudium Venetos incescit, lachrymis laticia obortis: exultare gaudio omnes. Præsidium, quod in littore erat, & ipsum ad conspectum navium animum recepit. Per eos dies tres Cretenses naves, & una Arbensis, ad Principem venire. Quo factum est, ut duabus & quinquaginta longis navibus Venetus fretus, nullos amplius hostium metueret incurfus.